

XII. e. no 2

ΣΥΝ ΘΕΩ
DISSERTATIO
INAUGVRALIS

MEDICO · BOTANICA
DE

TATARIA HVNGARICA,

QVAM

ANNVENTE INCLYTA
FACVLTA TE MEDICA

IN

ANTIQVISSIMA AC CELEBERRIMA
VNIVERSITATE VINDOBONENSI

PRO DOCTORATVS LAVREA SVMMISQVE
IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVI-
LEGIIS LEGITIME CONSEQVENDIS
PUBLICAE DISQVISSIONI SVBMITTIT

ALEXANDER SEBEOK

DE SZENT-MIKLÓS,

HVNGARVS NOBILIS,

AA. LL. ET PHILOSOPHIAE MAGISTER.

DISPVTABITVR

IN VNIVERSITATIS PALATIO

Die Mensis MDCCLXXIX:



V I E N N A E ,

Typis MATHIAE ANDREAE SCHMIDT,
Vniuersitatis Typographi:

LIBRARY OF THE
BUREAU OF THE
INDIAN AFFAIRS
WASHINGTON, D. C.
1880

KNY-18-00384





L. B. S.



*Examini-
bus rigoro-
sis quam felicis-
sime superatis, ultimam tandem
tot exantlatis laboribus adposi-
turus coronidem, diu multumque de eli-
genda Dissertationis inauguralis materia,
quae aut nouitate delectaret, aut sese uti-
litate commendaret, mihique campum ulte-*



rius quoque me exercendi offerret , meditari-
tabar.

Ipsa rerum copia ac varietate ad inopiam quasi redactus , suspensus tamdiu haesi: donec tandem Optimi in omnem mihi vitam Venerandi Praeceptoris Cel. VIRI A JACQUIN consilio , Tatariam Vngaricam , plantam , a nemine haftenus Botanicorum ad amissim descriptam, botanice delineandam susciperem.

Occasionem hanc, nouitate rei allectus , tanto alacrius arripendam duxi: quanto maiorem planta nostra tam in rebus oeconomicis, quam in vsibus medicis, utilitatem promittere videbatur. Praeter enim, quod

ex

ex radice inprimis recenti, in culinis, absque fere ullis impensis, gratissima, et optime nutrientia confici possunt fercula; et in caritate annonae radix perennis, et magnitudine ingens, certum refugium polliceatur: in Medicina quoque multis in casibus loco suo dicendis, ubi medicamenta alimentosa sine omni stimulo requiruntur, non infimum locum meretur.

Ne vero (ut subinde contingere solet) prius obliuioni daretur, quam vsus plantae diuersis sub circumstantiis examinatae, rite cognoscantur: botanicam descriptionem dedi cum adnexa Tabella talem, ut eam occurrentem etiam Botanices inperitus, magis adhuc, qui vel primis labiis studii bo-



tanici principia degustavit, ubiuis locorum
agnoscere, ab aliis omnibus distinguere, et
uberiori experientiae subiicere possit.

Si primos conatus hos Patriae dulcissimae
aliquid commodi adtulisse intellexero : sane,
me scopo non excidisse, ultra modum gra-
tulabor.





CRAMBE TATARIA.




Tataria Vngarica. *Clus. Hist. rar.*
pag. CXCI.

Panaci Heracleo similis Vngarica. *Bauh.*
Pin. 153.

Tataria Vngarica edulis Panacis Heraclei
folio, semina Libanotidis Cachryose-
rae. *Bauh. hist. vol. III. Part. II. pag.*
163.

Cachrys Vngarica, Panacis folio. *Tourn.*
inst. pag. 325.



Omniū primus *Carolus Clusius*,
 plantae huius notitiam, orbi literato ex-
 hibuit, cuius hic totam descriptionem
 haud erit incongruum adtulisse.

- - - - -

„ Non vulgaris est haec planta, quae
 radicem habet crassissimam et longissi-
 mam; nam brachialis crassitudinis et cu-
 bitalis longitudinis, aut etiam ampliores
 aliquot accipere memini ab ILLUSTRIS-
 SIMO DOMINO BALTHASARE DE BA-
 THYAN, qui in meam gratiam ex Un-
 garia transdanubiana adferri iusserat, ut
 in hortum Viennae transferrem. Illis
 autem folia emerferunt rari foliis non
 valde dissimilia incisuris et laciniis, bre-
 uiora tamen, et verius ad Panacis Hera-
 clei foliorum formam accedentia, rudi
 atque aspera lanugine praedita, ex viridi
 pallescentia, alia deinde paulo minoribus
 incisuris diuisa, nec minus aspera, inter
 quae assurgebat caulis cubitalis aut am-
 plio-

prioris longitudinis, pollicaris vero crassitudinis, striatus, concavus et nodosus, perinde asper ac folia, quem lato pediculo amplectebantur minora folia et multifida, aspera etiam lanugine obsita. Summus caulis in umbellam desinebat, Panacis Heraclei umbellis similem, in quibus flores et forma pares et colore, quibus euanidis succedebant rara (nam singuli flores non sunt foecundi) semina valde crassa, nec valde abssimilia semini illi magno et striato Libanotidis Cachryferae. Biennio quidem eas radices alui, antequam vna illarum et caulem, floremque et fermen proferret: deinde corruptae sunt, tamque foetidum odorem exhalarunt, ut ex horto fuerint eiiciendae.

„ Huius porro radice Vngari Agriae vicini, atque etiam vltiores Daciae contermini, in annonae caritate et inopia vescuntur alterius panis penuria, ut mihi asserabant, non modo Heros ille Illustris,



sed etiam alii nobiles viri, qui in ea Provincia vixerant. Quae adeo res effecit, vt dubius essem, an eadem esset cum *Baltracan* in Tartaria nascente, cuius meminit *Iosaphat Barbarus*, Patricius Venetus, in Epistola ad *Petrum Barocci* Episcopum Patauinum etc.

A Tartaris forte huius radicis usum edocti sunt Vngari, propterea Tartariae nomen illi dederunt: *Tatár* enim (vt et Germani) vulgo appellant, qui nobis Tartari dicuntur.

Haëtenus *Clusius*: quem exscripsit in sua Plantarum Historia *Ioannes Bauhinus*, *Bauhinum* Professor Argentoratensis *Ioan. Boeclerus* in *Cynof. Mat. Med. continuat. II. Part. I. pag. 76.* Certe nec hi, nec praeter *Clusium* Auctor alius ex citatis vllus Tatariam Vngaricam vidit.

Hinc omnes *Clusium* secuti, vmbelliferis illam perperam adnumerauerunt. Fatendum omnino est, in prima adole-

scen-

fcientia, dum planta folia adhucdum sua rugose complicata, floresque in ramulis clausos conglobatosque gerit, faciem prae se ferre cuiusdam Heraclei, et vel Botanico imponere posse: sed debite euoluta longe se aliam praestat; vt *Clusium*, exactissimum caetera Virum, satis mirari nequeam, quo potuerit pacto cruciformem plantam cum umbellifera confundere.

In vltimis demum, quos Viennae vixit annis, Viro eximio innotuisse illa videtur, dum nullam eius factam mentionem in Stirpium Pannonicarum Austriacarumque Historia anno 1583. edita legimus; dumque 1587. Vienna, non reuersurus, discessit. Vnde, forte minus illi haec descriptio fuit elaborata; vt nec figura plantae rarissimae adiiciatur, nec de sapore aut odore quidquam, nec de tempore florendi, et quae habeantur alia contra morem Clusianum.

Iam



Iam diu videndae examinandaeque plantae, ex Clusio sibi cognitae desiderio tenebatur Celeberrimus Professor a *Iacquin*: quare ante aliquot annos occasionem opportunam nactus, a Reuerendo *Maximiliano Hell*, Astronomo Caesareo, Agriam, in Hungaria Comitatus Hevesiensis Ciuitatem profecturo, petiit, vt Tatariam istic vocatam plantam, beneuole sibi aut redux adferret ipse, aut transmitteret. Celeberrimus Vir illico effosfas duas radices curauit transferendas; quae dum diutius in itinere haesissent, totae putridae foetidaeque aduenerunt. Harum altera quatuor pedes longa, et tamen apice truncata, cruris fere crassitiem habebat.

Felicius vero hac re, egregius atque dexterrimus Ill. *Caramellii* Regiminis Chirurgus, *H. Engelsdorffer*, Mense Octobri Anni 1777. defunctus est, qui plures radices, quas inuenire poterat, et breuiores

et

et graciliores transmittit ; quarum vna delineata in Tabula adnexa sistitur ; quaeque omnes terrae mandatae , proximo et hoc etiam anno laetissime in horto Botanico germinarunt , floresque et fructus maturos produxerunt.

Ad propositas plures quaestiones, dum reliqua indagari ob inopinatum ad exercitum in Bohemiam discessum non potuerunt, sequentia respondit :

Primo. Vocari vel hodieum ab incolis Tatariam.

Secundo. Crescere in agris inter segetes, in solo ex terra fertili nigra ad unius pedis profunditatem, cui alia subiacet argilloso flavescente ad tres pedes; tandem sabulosa; atque in hanc penetrare radicem adultiorem, quae propterea vix integra, (ut maxima longitudo determinari possit,) effodienda est: quod fossa simulatque ad sabulum perueniatur, ad pedes duos scaturiente copiosa aqua impleatur.

Ter-



Tertio. Radices quotannis aratro laedi ac amputari, sed denuo germinare.

Quarto. In nullum vsum ibidem trahi praeterquam a pueris, qui coctam radicem edunt ob dulcedinem.

Quinto. A leporibus, maximo numero illic degentibus, arrodi et comedi.

Non solum circa Agriam (*Germanis Erlau, Hungaris Eger*) crescit; sed etiam aliis, et forte pluribus in Hungaria ac Transyluania locis. Adlatam conspectamque radicem famulus heic Vienne natione Hungarus illico agnouit, et nomine vulgari (*Tatár-kenyér* siue *panis Tartaricus*) sub quo Reuerendissimus Dominus *Hell* inuentam antea transmisserat, salutauit: immo *Debrecini*, vbi sponte crescere aiebat, se, plus quam simplici vice varia exinde confecta edulia apud homines plebeios comedisse, constanter asseruit.

Verum famuli relationem de huius radicis Debrecini in culinis tam frequenti usu, suspectam mihi quidem fecit, non solum quod ipse in dicta Libera Regiaque Ciuitate, ab ineunte aetate educatus, cum variis ibidem Viris conuersatus, nihil vel fando de eadem radice, minus de cibis inde praeparandis audiuerim: sed imprimis, quia Medici eiusdem Ciuitatis Experientissimi *Cel. Steph. Hathuani*, *Cel. Steph. Wefzprémi* atque *Cel. Ioannes Csapó*, quos vltcrius in famuli relationem indagaturus, literis consulendos duxi; ignotam sibi prorsus, ciuibusque plantam vno ore profiteantur. Hos sane magni nominis Viros, tam insignes similium alioquin rerum obseruatores, qui potuisset latere, si vsus radicis huius tam vulgaris esset, prout quidem famulus ille volebat. Vt adeo, aut cum alio corpore plantam nostram, aut quod verosimilius locum, vbi cibaria inde conficiuntur,



tur, famulum Officialibus in statu militari seruitia sua locantem, sine statione fixa loca varia cum iisdem lustrantem, confudisse oporteat.

Quidquid eius sit: sufficit famulum radicem agnouisse, nontine Agriae confinibus noto vocasse, ac in testimonii sui perhibiti confirmationem cibi exinde conficiendi modum docuisse: dum ad eiusdem praescriptionem mox ex decorticata disciffaque transuersim in tenues lamellas recenti radice cruda, et dein apii adinstar oleo, aceto et sale condita, ferculum, quod omnibus bene sapuit, confectum est.

Cocti tandem tenelli ante florum expansionem caules, et brassicae cauliflorae adinstar praeparati, gratum dedere cibum, sed propter fibras corticis numerosas, nec facile mandendo subigendas, nec antea facile separandas, vsui ineptum: ni-

si successu temporis cultura accedente sensim sensimque mitescat.

Tum etiam in Moravia inuentam hanc stirpem Reuerendus Norbertus Boccius Ordinis S. Ioannis de Deo Feldspergensis Praepositus monstrauit: et copiosam in vineis, in solo argillaceo ad pagum Hurtau circa Aussitz crescere, ibidemque sub nomine *Hieronymus-Wurtzel* seu *Radix Hieronymi* notam esse, atque inde a rusticis Boëmis, qui vaccis porrigunt ad lactis augmentum transportari retulit.

Sane originem nominis Tatariae non adsequor. *Clusii* certe coniectura, eandem esse nostram plantam cum *Baltracan Tartarorum*, destruitur ex eo, quod *Iosaphat Barbarus* corticem caulis in *Baltracan* per maturationem findi et a ligno secedere (vnde loqui de caule frutescente et perenni videtur) et semen validi esse odoris, iucundi tamen saporis narret; quorum nihil nostra habet.

B

Quod

Quod vero apud eundem *Clusium* ex aliorum tamen relatione legamus, in quibusdam Hungariae locis, incolas, in annonae caritate et inopia hac radice vesci, longe maiori dignum attentione censeo. Omnino perennitas radicis, moles adultae ingens, vitae constantia in laesione etiam notabili, in climatis nostri frigore hyemali duratio, et alia, culturam, aut saltim in sylvestribus propagationem uberiorem contra annonae penuriam, quam maxime commendant.

Ex his sponte patet, non infimum sane in materia medica, inter cardiaca nutrientia radicem in primis recentem locum mereri. Et quamvis experimenta ob penuriam plantae nondum sufficientia instituisse licuerit: ob vires tamen, quas videtur habere demulcentes et soluentes, in morbis quidem ex acrimonia humorum oriundis demulcente, in malis vero hypochondriacis cocta et interne exhibita

radix, scopo soluente solamen promittit; vt Schorzonerae, Taraxaco, Gramini etc. optimo iure substitui posse videatur. In scirrho, cancro ventriculi, vbi sine stimulo, sapidum tamen requiritur alimentum, iusculo carniū lactique incocta, an non vtilem gratumque absque addito sale iam per se sapidum, instar oryzae, dauci, et similibus, praeberet cibum? In experimento nullum periculum. Externe vero forma cataplasmatum, lacti incocta vel aquae, ad tumores inflammatos scopo resoluente, vel vbi iam resolutionis benignae nulla spes est, adiecta $\frac{1}{4}$ pinguedinis recentis scopo suppurante conuenire, nullus dubito.

Descriptio iam plantae ad specimina viua Horti Botanici, siccataque syluestria transmissa, adumbrata subiungenda venit.

Radix perennis, fusiformis, brachium et ultra crassa, a duobus ad quatuor pe-



des longa, teres, aut basi simplex, aut in crura diuisa; foris fusca vel nigrescens, fibrillis paucis in progressu aucta; intus firmiter carnosâ, albida cum obscura for-dente flauedine, et obsoletis lineis radiata; saporis dulcis, cum nulla rari acridine.

Caulis duos tresue pedes altus, angulatus, erectus, glaber, medulla alba farctus, totus ex ramis panniculatus, modo vnicus, modo ex radice multicipite plures.

Folia radicalia (quae in caulescente planta, saltem in illo radice capite, quod caulescit, nam omnia eodem anno capita caulescere non solent, desiderantur) et ramea inferiora diuersimode, et inordinate sunt multifida, saepe amplissima, modo magis simplicia, modo decomposita vel supradecomposita, pinnatifida, diuisa in lacinias oblongas, dentatas et acutas cum quadam glaucedine virentia, virin-
que

que glabra; costis foliorumque oppositis paginis conuergentibus. Folia radicalia primo prodeuntia saepe parua sunt et integra. Summa in caule, ramisque, folia sunt simplicia et oblonga. Petioli angulati, in maioribus sunt foliis glabri; in minoribus vero, vti et costae hic valde crassae, et protuberantes venaeque, pilis albidis hispidulae. At ipsa haec hispiditas foliorumque figura adeo variant in diuersis non tantum plantis; sed vel in eiusdem diuersis partibus, vt descriptio, quae conueniat omnibus et singulis, frustra hic expectari possit.

Flores numerosissimi in cymis ramosis terminalibus digesti, fortissimum spirant gratumque mellis odorem, vt nares aperto apum alueo admotas crederes. Sequens in his character obseruatur.

Cal. Perianthium tetraphyllum; foliolis oblongis, obtusis, canaliculato



concauis , patulis , ex flauo virentibus , deciduis.

Coroll. Petala quatuor , alba , cruciformia , obuerse ouata , obtusissima , plana , Calyce ferme duplo longiora , ex vngue breui et erectiusculo dein patentissima.

Stamin. Filamenta sex , alba , crassula , erecta ; quorum duo opposita calycis longitudine et simplicia ; quatuor reliqua prioribus longiora et superne bifurcata , furcae crure altero , ad germen porrecto et sterili , altero extrorsum leuiter reclinato et antherifero. Antherae subuidentes et incumbentes.

Glandula : Viridis stat inter quaelibet filamenta proxima longiora.

Pistillum : Germen ouatum , viride , stylus nullus , stigma flauum , capitatum , sessile.

Pericarpium : Globosum , pisi magnitudine , primo viride nitidumque et cum

cortice donatum crasso ac carnosio; deinde maturitate exsiccatum, rugosum, pallens, uniloculare, nec dehiscens.

Semen : unicum, inaequaliter subrotundum ex cortice nigrescente, et nucleo ex flavo pallente saporisque pauci subacris et ingrati. Floret ineunte Maio, fructus maturescunt mense Iulio. Hi autem pauci ad debitum perueniunt incrementum; sed parui et steriles plerique perstant.

In Tabula denique repraesentatur multoties imminuta radix quaedam, mediocris integra, deinde in naturali magnitudine eiusdem dissectae multicipitis portio summa, in qua plura capita; foliis orba, prouti hyemem transigunt. Unicum folia emisit tria; nedum caulem. Praeter naturam in eadem radice haec delineata fuere ad pleniorum intellectum. Tum ramus floriger aliquis principalior ex caule. Foliū maioris pars altera dimidia. Fo-



lium radicale aliquod primitium ex simplicissimis. Denique cyma fructigera; et semen cortice demto.

Per analysim chemicam ex destillatione sicca radix dedit phlegma aquosum, spiritum acidum, oleum empyreumaticum, et post haec omnia in protracta destillatione et aucto igne spiritum alcalinum volatilem, vt fieri hoc solet in destillatione vegetabilium, spiritum acidum largientium. Caput mortuum per incinerationem dedit salem alcalinum vegetabilem, fixum, copiosum.

His nunc, de *Tataria* nostra *Vngarica* breuiter in antecessum praefatis, contenti simus. An vero *Clusianae* ac nostrae expectationi respondeat? experimenta a Clarissimis VIRIS repetenda, a me vero in loco natali plantae continuanda,

anda, vbi et frequentior et opportunior
dabitur tentamini occasio, docebunt;
Nunc vero curiosorum animos inuitasse,
eruditorum autem attentionem excitasse
sufficiat.





THESES DE HYDROPE.

I.

Hydrops, ex obstructionibus et indurationibus viscerum natus, curatu difficilis; difficilior adhuc, si simul accedat acrimonia humorum: morbis vero hecticis superueniens, plerumque pro lethali symptomate habendus.

II.

Homines loca paludosa, humida inhabitantes, caeteris paribus facilius in hunc morbum prolabantur: et in cubili humido depressoque decumbentes, difficiliter restituuntur.

III.

III.

Aquae euacuatio commodissime diureticis peragitur: quae si non sufficiant, omni tertio aut quarto die, si vires aegri ferant, ad purgantia confugere licebit: emetica vero non, nisi viribus visceribusque integris, cautissime in usum trahenda.

IV.

Vbi tamen hydropi oedematofus tumor, materiem tenacem gelatinosam continens iungitur: medicamenta omnium primo attenuantia ac resoluentia conuenient.

V.

Si nec incidentia, nec diuretica aut purgantia repetitis vicibus sine interruptione exhibita quidquam leuaminis adferant: malum semper omen est; peius adhuc vbi fortiora in cassum tentantur.

VI.

Quando hydropi superueniunt morbi inflammatorii, si necessitas postulet, nullo hydropis habito respectu: venam secare, et medicamenta refrigerantia ac emollientia exhibere necesse est.

VII.

VII.

Si ascites indicatis remediis nihil cedat ,
 fed potius illis aegri vires conuellantur : ab-
 dominis paracentesis , viribus adhuc vigenti-
 bus mature instituenda , ac pro rei necessitate
 iterum iterumque repetenda erit.

VIII.

Operatio haec iis in casibus , in quibus
 ventris moles eandem longo tempore figuram
 et magnitudinem seruat , vix fallit.

IX.

Nec tamen in desperatis casibus semper
 negligenda : conducit saltim ad enormes an-
 xietates leniendas ; etiam vbi nulla certa spes
 sanationis supereft.

X.

In quavis hydropis specie , maxime au-
 tem in ascite , indurationes in abdomine aut
 sub hypochondriis maximam Medici attentio-
 nem merentur : ita enim duplex nascitur in-
 dicatio.

XI.



 XI.

Ex indurationibus , propter inmodicum spirituosorum abufum natus hydrops , plerumque est omnis medelae expers.

XII.

Quando hydropici valida torquentur fiti febrique : non est permittendum , vt multum pro ratione fitis suae potent ; crudele nihilominus foret , et malum in peius rueret , si omnes illis , etiam aciduli potus interdicerentur.

XIII.

In pertinacibus , frigidis mollibusque tumoribus , scarificationes crurum omni adhibita cautione institutae , quandoque prodesse possunt.

XIV.

Lympha hydropicorum iam evacuata , ad recidiuam , ex debilitate partium praecauendam , residua laxitas interne roborantibus et adstringentibus tollenda : externe vero frictiones , pannis , fumo aromatico inpraegnatis instituendae.



XII

... ..
... ..
... ..

XIII

... ..
... ..
... ..
... ..
... ..

XIV

... ..
... ..
... ..
... ..

XV

... ..
... ..
... ..
... ..
... ..



